

1287, desembre, 4

*Bernat de Rissac, la seva esposa Ferrera, el seu fill Pere i l'esposa d'aquest, Blanca, defineixen a Guillem d'Aguiló el molí d'Aguiló, situat a Madremanya, a causa de no poder-lo tenir condret.*

ASD núm. 276, perg. orig., 240 x 200 mm.

Nouerint uniuersi quod cum nos Bernardus de Riuosicco, de parrochia Sancti Stephani de Madremayna et eius uxor Ferraria et Petrus filius eorum ac Blanca, uxor dicti Petri non possumus tenere condirectum nec facere necessarias missiones de lucro, fructibus et expletis illius molendini nostri uocati de Aquilone nec eciam soluere uel satisfacere domino Guilielmo, filio Berengarii de Aquilone, militis de Palacio deffuncti condam census et agraria quos in dicto molendino accipit et accipere debet et consueuit racione domini quod in dicto molendino habet et habere debet sine missione, dampno et periudicio nostra et mansi nostri de Riuosicco, ideo per nos et omnes nostros heredes et successores presentes et uenturos, gratis et ex certa sciencia insimul absoluimus et deffinimus uobis Guilielmo de Aquilone, filio Berengarii de Aquilone, militis de Palacio olim deffuncti et uestris perpetuo totum predictum molendinum nostrum uocatum de Aquilone quod habemus et per uos tenemus in parrochia Sancti Stephani de Madremayna, in rieria de Riuosicco, cum omnibus suis pertinenciis et quicquid et quantum iú.ris et racionis ibi in dicto molendino habemus uel habere debemus aliqua racione, ita quod totum predictum molendinum et monarium eius cum duabus molis que modo sunt in dicto molendino et totum ius quod in eo habemus aliqua racione habeatis, teneatis et possideatis cum exitibus et ingressibus suis et cum omnibus proprietatibus et integritatibus suis ad omnes uestras et uestrorum uoluntates perpetuo faciendas. Et sic mitimus uos in presenti in corporalem et uacuum possessionem uel quasi predicti tocus molendini ad habendum, tenendum et omni tẽmpore possidendum, dantes et cedentes uobis et uestris omnes uoces, iura et raciones ac omnes acciones reales et personales ibi nobis competentes uel modo aliquo competituras, promittentes quoque bona fide et per firmam stipulacionem quod contra predictam absolucionem et diffinicionem non ueniamus nec uenire aliquem nomine nostra faciamus iure aliquo uel racione; tactisque sacrosanctis .nu.or Euangeliis corporaliter per Deum sponte iuramus, renunciantes ex certa sciencia omni doli excepcioni et metus et condicioni indebiti et sine causa et omni alii iuri ciuili uel canonico uic contractui obuianti, et specialiter nos predictae mulieres renunciamus quantum ad hoc beneficio Uelleyani senatus consulti et legi que rei dotalis prohibet alienacionem.

Actum est hoc pridie nonas decembris anno Domini .MCCLXXX. septimo.

Sig+num Bernardi de Riuosicco, sig+num Ferrarie, uxoris eius, sig+num Petri, filii eorum, sig+num Blanche, uxoris dicti Petri, predictorum, qui hoc iurantes laudamus et firmamus. Testes huius rei sunt Arnaldus de Miliariis, miles, Raimundus de Terrubia, clericus, Arnaldus Geraldi et Guilielmus de za Gaho, omnes de parrochia Sancti Stephani de Madremayna.

Sig(s. man. )num Bernardi de Matha, publici notarii de Sancto Saturnina, qui hoc scripsit et clausit.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 575-576